



I,

I

S

mp.

um

ntimi
ous

atus,

ernat.

aphi

R. M. K. 11. 1785

V O X
CLAMANTIS IN DESERTO,
S E U
S. JOANNES
BAPTISTA
ORATOR EFFICAX.

Per Basilicam pro Collegio Universitatis
Societatis JESU Tyrnaviensi

A B
ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO COMITE
NICOLAO EZTERHAZY, &c.
Regni Hungariæ olim Palatino à fundamentis erectam;
Nunc verò

A
CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPLE
PAULO EZTERHAZY,
Moderno ejusdem Regni Palatino, &c.
Sumptuosè eandem adornante

Honorata:
ET
Reverendis, Pranobilibus, Nobilibus, Excellentibus, ac Doctissimis
Dominis AA. LL. & Philosophiæ
NEO-MAGISTRIS,

Dum
Per Rev. Patrem JOANNEM BAPTISTAM WENNER, è Societate
JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, ejusdemque Professore emeritum,
& p. t. Seniore, *et*
In Aula Academica Alma Archi-Episcopalis Universitatis Tyrnaviensis
Soc. JESU, supremâ Philosophiæ laureâ solenni ritu condecorarentur,

A
Perillustri Oratoria Facultate Tyrnaviensi
Oblata.
Anno M. DC. XCIV. Mensis Augusti, Die


TYRNAVIÆ, Typis Academicis, per Joannem Andream Hörmann.

I,
I
S
,
mp.
um
ntimi
OUS
atus,
ernat.
aphi.

Ve

Plu

Ne



OBTULERUNT.


JOANNES de MARSINAI, Hungarus, Sacri Romani Imperij Eques è Regio Nobilium Convictu.

GEORGIUS KORLATKÓY de LABS, Prænobilis Hungarus.


LADISLAUS OKOLICSANY, de eadem Nobilis Hungarus, è Seminario B. M. Virginis.

CASPARUS CZINGELY de FÖLSÖVASARD, Nobilis Hungarus.

LADISLAUS HRABOVSKY de eadem, Nobilis Hungarus è Seminario B. M. Virginis.



ms
ra
se
E
L
di
se
T



REVERENDI, PRÆNOBILES, NOBILES,
EXCELLENTE, ET DOCTISSIMI
DOMINI, DOMINI
NEO-DOCTORES.



Æsitantibus nobis, quò Vobis Neo-Doctores Philosophi, post confectos operosè trieteridis Philosophica labores, in suprema jam Philosophica laurea gloria meritissimè triumphantibus applauderemus, Romana quondam Urbis consuetudo, consilium suggestit. Hac post confecta cum hostibus bella, reducibus suis victoriosè Belliducibus in triumphalis gloria augmentum, perennitatem apprecantium voces applausui adhibebat.

Ve
Pl
Ne

Id ipsum & nos, piâ sequelâ studuimus adumbrare. VOCEM, at unicam, clamantis in deserto quidem, sed per mundi desertum, ipso sui in ortu, progressu, & exitu validè sonantis, & tonantis ad totum applaudentium Laureis Vestris eorum addidimus. Et, ne quantum volumus, in varietatis deessemus gratia, & tenera Discantum, & procedentis Altum, tum Tenorem, & (quod nobis ipsis mirabile) post ejusdemmet jam silentis exspirium, austerum, & severum, sed salutarem Bassum, vocalissimè profundum tonantem adhibuimus. Hanc, sive teneram inter larium paternorum limites; sive adolescentem inter deserti recessus ad Cæli delicias à cantibus replicatam; sive adultiorem jam ad Jordanis fluentia pœnitentia fructus fructuosè decantantem, sive iam emortuam, vocali tamen silentio in verba vita, sonos salutis eruantem, auscultetis, tota in pietatis harmoniam consonat. Ut sic VOCEM salutis, salutem intelligentibus, id est sapientibus Vobis potissimum offerremus. Et ne harmonia vocali quidpiam ad plenitudinem concinnitatis Musica pro applausu Vobis oblato deesset, adjecimus, & Phonurgica instrumenta. Quam VOCE huic, suavissima salutis clamanti in deserto, Illustrissima, Excellentissima Magnificam Basilicam plus quàm Thebani Architecti arte, Palatina liberalitas Ezterháziana erectam concinnavit, dicatamque VOCE huic sacra voluit; & Cellissima Palatinalis principis Munificentia exquisitè nunc adornat, in musicum organum addidimus. Ut si eam liberalitatis munificentiam voces hominum tacuerint, lapides loquantur. Hi totò Chori concordia dum consonabunt; supremâ Sapientia Philosophicâ laureâ redimitos Vos valere precamur, & perennare.

Honoribus Vestris

Additissimi

Rhetores Tyrnavienses.

GENETHLIACON.

Nascenti VOCE.

Gentis Idumæ multum sublimibus arces
Turribus, & nubes super, & super æthera jacto
Vertice, sidereo miscete cacumina mundo.
Plaudite per patrios longè radiantia campos
Pergama, quæ propriam Zachariæ nobile stemma
In sedem legit, natale effundite pœan.
Vos nova progenies vernans de stirpe serena
Nobilitat, claræque suo spectabilis ortu
Orbe palam toto famæ divulgat honores.
Non tua tam augusto radiatur nominis auro
Phœbe Paros; Phœbique Soror non Delia Delon,
Juno Samum, Pallasve suum, nascensque Atacynum
Incola, nec Phrygiam celebravit Jupiter Idam,
Per juga reptaret cum parvis artibus infans,
Nec cum saxa manu vibraret fulmina Numen.
Hæc vigilum vatium sunt somnia, vana locorum
Religio, totam traducit fabula pompam;
Vobis vera micat de claris gloria cunis.
Pangite sylvarum volucres, rostrique sonoris
Intentæ lituis actœamata fundite: pullus
Famæ immortalis primas prodivit in auras,
Mascula quem virtus velocibus instruet alis.
Tūque DEO sacrata domus Solymæa, per orbem
Divulgata omnem, superans præconia pompâ,
Lætitiaë muros resera, turritaque cinge
Tempora ovans lauris, & odoræ munera sparge
Chloridis, Eoò venerataque thure tonantem
Victima digna, tuas nunc Eucharis imbuat aras,
Æmula sydereos festivis ignibus ignes
Ad radiosa vocet claræ certamina lucis.
Namque sacri Vatis Puer hic de sanguine venam
Haurit, & æquales genuini pectoris ausus,
Virtutis quos imperio moderante decorus
Exeret, insolito, blandi, certamine, mundi,
Et victor, vindæque sui, multisque triumphis
Inclytus, assertis intextet lilia palmis.
Hæc ego non vanus præfago pectine vates
Præcino, nulla licet consulti carmine luci
Aonij, responsa darent, nec delphicus ulti
Thure tripus, aut Cumaneæ cortina Sybilla;
Aspectusve poli, certo cum fœdere lucis
Sidera nascentum finguntur scribere fata,
Venturæ, (sortisque vices) mendacia vitæ
Omina; se pandit verax Horoscopus, altri
Nobiliore situ, duodenæ cincta pyropis,
Qualis ab Empyreo diffunditur orbe, favillæ

solle

A 3

Solis & æterni Virgo circumflua luce;
Augurium mihi Diva tuus favor explicat; Infans,
Auspice te, primæ lucis prodibit in auras,
Primam animam, & teneræ ducet spiracula vitæ;
Tu mihi Phœbœum fibras in pectoris æstrum
Suffice, Pieridum Charites infunde medullis!
Tu digitos, tu plectra move, tu barbyta blandis
Jussa Genethliacos concentibus edere plausus!
Diva faves votis? jam totis entheus ardor
Artubus exundans, pronos in carmina nisus
Urget, in Aonios jam vox fluit apta lepôres.
Anxia sollicitas versabat pectore curas
Zachariæ mens, consilio quo stirpis avitæ,
Majorumque decus, florente ptopagine longam
In seriem, non degeneri produceret undâ
Sanguinis, & digno renovaret gesta nepote.
Primæque jam justis dederat solatia votis,
Consortem jungens thalamo, cui stemmate claro
Nobilitas, virtusque pari fulgebat honore,
Accenditque spei genialibus omina tædis
Fortunatus Hymen! fecundi munere fructum
Connubij spondens, veterem qui tradute sortem
Stirpe domus Zachariæ firmaret in ævum,
Ni sterilis venter sperantem fallat Elizam,
Interea multis Zacharias æthera pulsât
In templo votis, sic supplice voce perorans:
Magne DEUS, cujus nutu regnatur uterque
Mundus, & imperio Regnorum fata moventur,
Tu cunctas hominum sortes volvisque, revolvis;
Non secus, ac Phœbi, Lunæque vices, rutilique
Orbes astrorum pleno nunc luminis ortu,
Rursus, & occasu, tamen omni tempore callem
Præfixum peragunt, certo refluique rotatu
Annorum nectunt seriem cum sæcula fundunt;
Terrigenum genus auspiciis capit, omina vitæ
Præcipiti, rupto Parcarum stamine, lapsu
Proruit, in meritam primævo crimine noctem,
Cognatumque sibi permixtum pulvere corpus
Fatalis tumuli condit, clauditque sub umbris,
Exacto donec decreti temporis ævo,
Imperio revocante tubæ, præconis acerbi,
Vitalis repetat desertos Spiritus artus.
Perbrevis interea solantur nescia vitæ
Fata, fatæ prolis, fecunda a stirpe nepotes,
Vivir in his virtus etiam post funera Patrum.
Astra meam stirpem fecundent prole, cadentem,
Quæ fessum in sacro supplebit munere patrem,
Thura dabo, superis centenæque victima cedit.
Dixerat: & Cœlo delapsus Nuncius adstat
Ancipiti, Gabriel, miste hæc solatia præbens:
Traxisti in tua vota polum, quæque irrita nunquam

Verba

Verba suos meritò semper retulere favores,
Nunc quoque digna ferent liberalis munera dextræ,
Nam Zachariæ genti stant omina fati
Fausa suis decreta, trahet de stemmate claro
Progenies genuina decus, nec stirpe recisâ,
Vestrâ deficiet generandus ab arbore fructus
Fronde novâ semper soboles fecunda virebit,
Nomen ei Joannis erit, sic præcipit æther,
Præveniet mundans nascentem gratia lucem,
Non equidem illustri generi dabit ille nepotes,
Sed fructus alios feret, alto munera Cœlo
Digna, genusque suum virtutum ad sydera tollet
Progenie, famam spreto cumulabit honore.
Hæc rata sunt, charum foveat tua cura clientem,
Imperijs natura tuis, & gratia foetum
Formet, & illustrem formoso in corpore sedem
Constructura animæ, nativis dotibus ornet.
Dixit, & attonitum Zachariam liquit ad aram;
Nec mora, subjectas, ciet in molimina Nymphas,
Ut sensit nutum Domini, natura, jubentis,
Præ cunctis stipata suis se dotibus offert,
Proxima pone trahens virtutum, gratia, cærum,
Advolat, unâ omnes pronos sinuamine magni
Numinis imperium, ac sceptri decreta verentur,
Ad quas sic fari cœlestis nuncius orsus:
Illustres Cœli charites, simul altera terræ
Numina, largifluo quorum de munere vitam
Adsciscit mortale genus, totumque decorem
Corporis effectum vestra derivat ab arte,
Vestro sole nitet, quidquid genialibus umbris
Prodit, & æthereâ vegetabile vescitur aurâ,
Et quæ terrenum supra radiosâ decorem
Immortalem animam divinâ luce venustas
Illustrat, laqueatque sibi flagrantis amores
Numinis ipsius, vestro de munere venit.
O Cœli soboles! vos lumina vestra paratis
Solis ab æterni radijs, nec damna rapinæ
Solvitis, ut quondam fallax sua furta Prometheus,
Utrâque turba meis conamina jungite votis,
Et Zacharianâ condignam effingite prolem
Stirpe, velut quondam cumulatâ sorte favoris
Numina Pandoræ genium exornasse feruntur,
Commentis vatium: vos vera charismata in unum
Congerite, ingenti meritâque in corpore sede
Instructâ, dotum compendia fundite menti.
Mens Cœlum, mens Numen amet, terramque supinam
Nobiliore premat fastu, virtute Magistrâ
Componat mores, veterem gestisque nitorem
Majorum superet, famæ jubar evocet umbris.
At Nymphæ contra: tuus, ô puer alme quod optas:

Deest.

Declarasse labor, sed iussa capeffere nostrum est.
 Hæc ubi dicta: viam celerant, agilique volatu
 Mox Zacharianæ felices arcis ad aulam
 Applaudente polo longo agmine delabuntur,
 Ipsi ultro paruli postes, sensere Dearum
 Adventum, latum rutilantis fulguris icum
 Æther intonuit, festis micuere favillis
 Tecta, novis radiant penetralia fulgida flammis:
 Ast lucem superabat odor, licet illa pyropos
 Vinceret, & clari gemmantia lumina Phœbi,
 Undique nectareis spirans fragrantia nimbis
 Ambrosiæ charos implebat odore penates;
 Moxque soporifero gravidam dulcore parentem
 Imbuit, inque levem declinans membra quietem,
 Halitus optatam dedit in spectacula scenam.
 Visa sibi est Superum properatis gressibus agmen
 Adventare, suâ conclavia sponte recludunt
 Portarum longâ serie, recto ordine valvas.
 Insolito primum species objecta stupore
 Attonitam confundit, iners dein pectore cessit
 Consternante timor; subijt dulcissima mentem
 Spes, & amor, tanti, Cœlo donante, favoris.
 Lux oculis primum tenuis, quas Phosphorus umbrat
 Noctis adhuc dubiz cunctantes cedere campo
 Æthereo, pellens spargit, pallente favilla,
 Deinde corusca magis, qualem referata rosarum
 Atria, & Eoi divulgat luminis ostrum
 Aurorâ generante diem, innox plena nitoris
 Flamma, vibrat medium superans rutilante quadrigâ
 Per convexa poli radiorum Cynthius aurum;
 Sic allapsa Deas gressu propiore retexit
 Sidereæ grandis Majestas lumine formæ.
 Ipsa etiam natura faces, & fulgura flammæ
 Induit, æthereæ, tanti est, commercia turbæ
 Tractasse, & Sacræ comitem venisse catervæ.
 Et jam postremæ superato limite portæ,
 Ipsa recumbentis penetralia, summa, frequentes
 In seriem longam subeunt, thalamumque coronant.
 O quanta astrifero cunctis micat ore venustas!
 Quantus fronte favor: roseo quæ gratia vultu!
 Illa super, tacitoque simul prodigia formæ
 Sydereæ affectu celebrat, reverentia, namque
 Edere verba negat, primisque hærentia labris
 Dicere tentantem, refugâ cum voce resorbet.
 Mox ubi purpureo bombice sedilia strata
 Nec Phœbo cedens, cœpit regale Dearum
 Concilium, præses sapientia prima Senatûs
 Parthenij, de suggestu sic orsa perorat:
 Indigetes Cœli Nymphæ, Reginaque mundi
 Totius natura, parens ditissima rerum,
 Imperium nostis, divæ, quod nuncius, aulæ

Numi-

Numinis annutu dedit. En jam digna labore
 Materies se offert, grandi, & molimine Divum.
 Prima manum cedes operi natura, tenellam
 Nam materna inter tibi viscera fingere prolem
 Sorte datum: tu magnæ animæ, meritamque parare
 Sedem, & condignam virtutum doribus aulam
 Arte potes, genioque tuo: tu corporis artus
 Finge, tuo ductu componat consona formam
 Linea, sidereo se pingat gratia vultu,
 Frontis ebur nitido prodat candore serenum,
 In cilijs sacra majestas struat Iridis arcum.
 Vibratus de mente vigor duo lumina blando
 Fulgure succendat, qui gemmea sidera, flammæ
 Oebalidum splendore premar; sed nube perenni
 Temperet augustum demissa modestia lumen;
 Ingenuum niveis variato lacte ruborem
 Sparge genis, qualis decertat prima rosarum
 Purpura, cui puro miscentur lilia bysso,
 Aut qualis Daphne, properi vestigia Phœbi
 Dum fugit, auroram in vultum trepidante cruors
 Evocat, ante artus quam vestiat abdita lauro.
 Arguto fluat amne lepos, & nectara suade
 Attica, Romanus facundo Tullius ore
 Regnet, ad arbitrium populorum corda catenans;
 Æmula Sequanici vox diffuat Herculis auro.
 In toto diffunde decus, formæque figuram
 Corpore, cœlestis qualem sibi fingeret, alto
 Si genius peteret delapsus ab æthere terras.
 Hæc species externa micet, sed pulchrior intus
 Sidereis, captura sinu, stet doribus, aula.
 Cor tenerum molli cœlestis fomite amoris
 Instrue, sparge fibris virtutum semina, primæ
 Radices animo pueri plantentur honesti.
 Dixit, & arcano sudans natura labore
 Mandarum perfecit opus, maturus in auras
 Jam properat fructus, gremiique repagula nisus
 Rumpere, fulgores lucis natalis anhelat.
 Æmula naturæ, sed cœptum Gratia, vitæ
 Interpellat iter, non sic ait, ante videbis
 Puppe diem, te nostra prius socianda beabit
 Dextera, contractam primævo crimine noctem
 Ante fuget præsens humano in corpore Numen.
 Vix ea dicta, gravis concepto Numine Mater
 Celsos Judææ per montes scandit, Elisam
 Invisura, puer Martis licet abditus esset
 Visceribus, Numen præsens sensisse retexit
 Salto; vis subito penetrat Divina medullas,
 Abstergitque luem, cœlique charismata toto
 Corpore dispensans, replet ipsam Numine mentem.
 Prima fides radios miscet velamine tectos,
 Qualis adhuc fractis confinem Phosphorus umbris

B

spargit

Spargit ab axe diem, spes jugi fomite nutrit
Succensas in corde faces, incendia flammæ
Plena suo, quæ corripuens amor excitat, ignes,
Relligio socios cumulat, pietasque calores,
Jam ceptum natura parens jam perfice suæ
Artis opus, releva cunctantem pondere Matrem,
Cælestis Lucina jubet, da gaudia mundo.
Factum Io! superi fortunavere precantem,
Phæbus adest, solito comptusque serenior auro
Vibrat ab axe diem, subridens plaudit Olympus,
Augurium præbent volucres, lavum intonat æther
Innubis, festis collucent testa favillis,
Fausæque purpureis incumbunt omina cunis,
Sponte suâ Zephyrus gratos aspirat odores,
Agmina florigeris vernantia bella labellis
Miscent, una tamen nivibus vitricia tollunt
Culmina præfago foliorum argentea cultu
Lilia, in infantis pueri sinuanda corollam,
Lilia, quæ castæ florescunt symbola mentis,
Et placidâ circum Nympharum fusa coronâ
Ambit turba thorum, faustè stupefacta peractum
Quæque suum miratur opus, se seque tuentur,
Et gaudent unâ expressas in imagine Divæ.
Scilicet ut reliquis augustior emicat illa
Effigies: jactatque suæ miracula formæ,
Quæ varium sectata decus, cæu Cypris Apellis
Picta manu; puer æthereas sic corpore toto
Et vultu charites grato discrimine fingit,
Frontis ebur nitidæ Majestas occupat, alto
Cæu folio Regina micans, oculique gemelli
Syderibus pietas geminum blandè evibrat astrum,
Ora, genasque pudor, puris ut mixta ligustris
Purpureo rosa flore nives confundit, Eoos,
Primo albet cum sole dies, imitata nitores.
Jam sacrum pia labra melos meditantur, Olympo
Jam supplex ignara licet se tendere palma,
Pectore flagrat amor, flammis animatur amoris
Relligio, teneri jam victima, cordis in ara,
Cælesti, felix bustum suspirat, ab igne.
Fortunate Puer, summi cûi summa Tonantis
Mater, prona manum melior Lucina dicavit,
Formavitque artus! atque artibus indidit alta
Semina virtutum, geniumque intruxit honore
Sydereo, superasque faces ardere medullis
Jussit adhuc teneris, & totum pectore Numen!
Fortunate Puer! præcox cûi gratia lucem
Ante diem cunis lentus quàm Phœbus ab axe
Spargeret, irradiat rutilum natalibus aurum.
Vive diu, terrasque tuis virtutibus imple.

Sonus

Sonus è laribus Paternis evanescentis VOCIS.

AGe inter montana Judææ in paternorum larum angustijs ad crepundia
infantia adhuc adstrictæ, grandis, quia Numine plenus, parve in puerili
corpore conclusæ Joannis age anime! Egredere de terra tua, de cogna-
tione tua, & de domo Patris tui, & veni in viam deserti, quam necdum vita tui
tibi nato propitium Numen monstravit, egredere. Progredere pusille Gigas,
in dilectam curre eremum magne, imò maxime inter natos mulierum coram
Domino puer. Satis jam materna inter suavia actum, blandientes inter co-
gnatorum delicias victitatum est satis. Ibo ergo, quò Verbi æterni, æterni
DEI agit impulsus, è vagitu domesticarum blanditiarum, ex infantium deli-
ciatum balbutie in VOCEM clamantis in deserto ductu Spiritus evanescam!
Mysticam in primordijs vitæ meæ nativitatem mirabilia DEUS consequi voluit;
& Domino gratus non obsequar? multum satis quinquennio contanguineæ
indultum pietati, toti satis factum propinquitatis necessitudini. Exhilarata
nativitatis meæ gaudio tota totius domus cognatio. Sterilitatis in matre aboli-
ta ignominia; magnificata Domini misericordia; fecunditatis sublimata glo-
ria; muta Parentis ora, gratia nascentis VOCIS, in verba gratiarum, in Pro-
phetiam, soluta; tota congratulationis jubilo totius montanæ vicinæ in lati-
tiam exultavit universitas, & Domino vocanti gratus non obsequar? Ibo!
Tantam generis nostri magnificentiam, confessionis obsequio, quo divina in-
spirationis nutus misericordiarum suarum dignatione ire jubet, non est,
quod amplius deliberem, ibo; ut rotus orbis audiat vocalius misericordiam
Domini per deserta solitarius cantabo. Valete ergo paternæ domus habita-
cula, vale civitas Juda, vale Zachariæ domus, crescentis hucusque Joannis
diversoria, paterni, maternique amplexus valete suavia, & basia; tota vale
cognatio. Sic Cælum me sibi reddi jubet, vobis ad sterilis moræ solatia commo-
datum, Hoc ex utero castissimo Filius Virginis me in utero adhuc latentem nec-
dum natum, natum mulieris incarnata DEI Sapiencia trimestri impensâ mihi
Magisterij cælestis gratia erudit. Nutrivistis hætenus Joannem puellum
mollius, cibastis lautius, induistis delicatius, ornastis indulgentius, offi-
ciosis delicijs in paternæ domus amplitudinem, in hæreditatis possessionem
habuistis spe sollicita affectuosiùs. Lactati, inescari, jucundo blandimen-
torum illicitio amplius Joannis non patitur animus, ambrosiâ cælestium deli-
ciarum dulcedine delibutus. Valete! securius per solitudinem deserti hu-
manæ vitæ vitabuntur contagia. Vale & tu renella necum pueritiæ crescentis
soboles, tota totius vicinæ puerorum innocentia; sat infantia datum lilibus,
ad serâ vitæ subsidia continuaturus vitam vivere emigro innocentem. Vivam
uni mihi, uni solique DEO notus, super omnia vivam suavius. Valete ere-
mum anhelanti universa urbana fastidia. Avete verò vos ô dulces eremi,
quas prælibo, avete puriores delicia! novo mihi incolæ futura salve solitudo!
me ad te ducit Dominus, ut amplius benedictionum suarum gratias loquatur
ad cor audientis VOCIS clamaturæ in deserto. O beata montium palatia! ô
dilecta vallium solatia! ô quantum in suavissima hic animus liquecet solatia!
nil hic de æstuantium urbium intemperie, non illimes fontium rivos vo-
luptas corruptelæ venenat contagio: non spinas curarum sollicitudine cupidi-
tas in vulnera acuit: non mærorum vicissitudinum, serenitatem lætitiæ obnubi-
tat: non in ruinas præcipitiæ montium atrollit ambitio; non livor alieno
bono

bono in proprium tabescit supplicium: nulla in stomachi commotionem ad mentem emovendam crescunt aconita: nullus ariditate languescens animam amarum aequis fatalem in sitim latex prostrernit: nullus fallacis pulchricum dinis illius lethali germine fructus gulam in vitæ dispendia provocat: nulla ferarum terrent confortia, ex Cœli Imperio in obsequia innocentie mitescunt omnia. Feritate posita blandietur leo, rabie exuta parebit ad nutum tygris, totus mitis colludens Agno accubabit pardus, urforum iræ migrabunt in blanditas; nullum innocuè tractata lethali morsu venenum despuet vipera. Tota ex jussu Numinis tractabili mansuetudine nutui innocentie beluatum deserviet feritas. O turas eremi delicias! o innocuam deserti voluptatem! o cautes! o saxa! o vallium amœna! vos in victum herbas, & radices innocuas, in belularia melleas aërij rosis guttulas, in potum purissimos e petris salientium aquarum fontes omni urbano mensarum luxu dulciores eremi convivæ ejulas præstabit. o quo cordis jubilo deliciosa sine fastidio sacietate, tota virtutum sociâ hospitalitate jejuna a ventris saburra epulabor. Et hæc urbana vanitati posthabeam? Eja Judææ juvenis sequere præcursores Domini pro continuata innocentie consummatione sequere præeuntem VOCEM, patriæ expirantem, deliciosa deserti sequere aspirantem, præcursores me Domini ad Dominum sequere, agnata urbibus fuge vitiorum contagia, individua palatij fuge pericula, integrâ vanitati toti evanesce innocentia, æternitate cœlis daturâ. In eremo jam requies mea. Hic totus consanguinea necessitudini evanesco, expiro! ad solum solitarij suavissimo collium æternorum desiderium anhelitu aspirabo!



PROBLEMA.

Maturioris ætatis Tenor, an tenerioris Altus DEO gratior?

Pro Tenore virilis ætatis.


Quadrifariam cardinali orbis numero, ad suavia aurium, ad innocentes animorum delicias, deliciosa varietate, Discantus, & Alti, Tenoris, & Bassi, ex Phœnaxorum Orphæorum ingenio subtili discretissimo Musicz habetur integritas AA. Concinnius tamen ad veritatem, sanctissimo Archiatrorum Galeni Principis judicio, unica, integræque mortalium vita in quatuor, genio longè dispares, pueritiæ, & juventutis, virilitatis, & senectutis, ætates, consonâ dissonantiâ dissecatur. Hæc, quantumvis indole discrepent, ad æternarum tamen legum numeros concordatæ exactissimâ symphoniâ concinnè omnino ad cœlitum usque delicias consonabunt. Suavitate Discantus, pueritia: Alti flexibilitate, juvenus: constanti Tenoris presso, virilitas: graviore profundi Bassi tono, integrum vitæ chorum senectus consummabit. Dici fortè debuit; à teneris, ad suavissimè sine erroris lapsa decantandam vitæ innocentiam, cerea tenerioris adolescentiæ formetur tractabilis: cujus Altum notato profectus incremento robustior juvenus conditam prosecutione continuet: perfectioris Tenorem, virilitatis robur ad soliditatem harmoniæ constantè adjiciat: ac demum ad totius chori consummationem veneranda senectus Bassum profundæ, perfectæque integritatis, maturi-

ritate autoritatis totius rectè actæ, humanæ decantata vitæ superadjiciat complementum. Dicite iam amabo boni Cœlites! unius ex his duntaxat partem, Tenoris, & Alti concertatione, cujus vobis major appetitio? Ego sane gratiorem vobis maturi Tenoris à scabra, hispidaque dissonantibus mundi confusione, fugam; quam inconstantem mollioris Alti ab eadem flexionem, & deflexionem præplacere, quò brevius, eo spero efficaciter gratius decantabo. Pro clavi Tenoris, pro basi argumenti ipsa prima immobilis esto veritas. Huic enim quid accidat gratius, quàm quod ei, veluti normæ infallibili, omnis humanæ in agendo harmoniæ constantius consonat, accordatque voluntati, auditum, scitumque nihil. Consonantiæ vero hujus perfectio cum inter hiulcos sæculi ululatus, inter inconcinnas fluctuantium illecebrarum dissonantias agi non possit; uni, soli que DEO vitam, in terris, à terris discretam constanti Tenore decantare acceptissimum evadit. Sed præverti me, quò propero, adverto; à captivitate libertatis mundanæ, ad libertatem mancipationis filiorum DEI, ad onus Christi leve, ad jugum suave, spontaneo consilio, maturâ deliberatione transire, vitam totam intra electæ, & dilectæ religionis claustra constante cursu decurrere, DEO placitissimum in veritate tenetis. Hoc ipsum tamen aggredi, hic labor, hoc opus intellectus est, quod sola penetrat maturitas intellectus. Arduum negotium impetu actum nunquam rectè constitit. Consultationis morâ, maturæ circumspectionis libratione moderatum, semper processit durabilius. Virium robur, si corporis, tum vel maximè animi ad molem tam grandis operis sustinendam, metiendum est, *Tollere quid valeat, vel quid sufferre recuset.* Inconsulte ceptum, vel nullo plerumque, vel penitendo exitu consummatur. Voluntario Sacrificio totum se per religionis Sacramentum, summo, ac primo rerum omnium Principio, sanctissimæ illi tremendæ, & adorandæ Divinæ Majestati victimare, maximæ res dignitatis, & felicitatis, grandiori deliberatione ponderanda, tractari debet exactius. Et hæc quidni maturior ætas, quam tenerior imbecillitas censuret rectius? Rapitur hæc impetu etiam leviter boni apparentis infirmo rationio, ubi hæc judicij stabilitate firmata, boni umbram apparentis exactissime discutit. Vertumno quovis, ac Prothæo in varietatem placiti mutabilior ea teneritudo est; firmiore honesti rite semel cogniti proposito solidior animus majoris ætatis inhæret; rectè ergo quæ divinæ voluntati consonat constantius, gratior quòque placebit. Religiosum statum non stantem, sed perpetui, & irrequieti laboris continuum torrentem, rectè non nemo dixerit, in quo & corporis, & animi lacertis eluctandum. Militia est, ubi non uno armorum, aut belli genere depugnandum. Jejunio, & austeritatis rigore, vigilijs & sobrietate, deliciarum contemptu, & mundi odio, totâ totius sui abnegatione, totòque virtutum adversus carnem, & spirituales nequitias insurgitur apparatu. Hæc consule aggredi nec judicio sufficientem, nec viribus supparem eam ætatem, nullus inficiabitur. Consonat itaque Tenor adultior divinæ voluntati constantior, quidni & gratior consonus complacere. Pro quibus dum habiliorem valore virium jam ante à me maturiorem ætatem probatum esse constitit, constantius divinæ voluntati eam consonare, adeoque rectè longè aptius suavissimâ morum concinnitate religioso in choro, consonantem DEO gratiorem, placere amplius, pro Tenore efficaciter decantatum erit satis.

Pro Alto Adolescentiæ.

Grandiori voce, soni adultioris Tenor auribus intonuit satis. More aures, moti & animi, non tota tamen commotione. Superstitit, etiam alterius audiendæ partis æquitas; Alti pro se concinentis auscultabitur palinodia. Cantum tractu non protrahat brevissimâ suavissimi Alti efficaciam, liti momentum apud recti intelligentiam, iudicij iusti, sententiam excantabit. Quid etenim? maturioris ætatis Tenor, tenerioris Alto canitur DEO gratior, quod Tenor primæ veritati concinnius, Tenor adultiorum Divinæ constantius consonet voluntati. Hæc ipsa ex clavi per Alti veritatem modulabitur sonorus. Suavissima vocis sublimis amenitate, universi Phœnascorum chori (parte unicâ, cui lis replica concertationis contra, per exceptionem cant, exclusâ) consonante iudicio, Altus Tenore jucundior est, quidni & DEO teneræ adolescentis ætatis consona in innocentium morum harmonia integritas gratior? En palinodiam pro Alto cantantis veritatem in fundamentum. Ad æternas leges, ad ipsum sapientiæ initium, timorem Domini, adolescentiæ indoles innocentia vitæ habilior, ad concilia pietatis flexamini sua temperie inclinari est facilius; id vero jam ipsum, ut in delicias superis event amœnius, ita gratius quoque evadere ex veritate evictum habetur. Primitias rerum in oblationibus, quia gratissimas ex religionis præcepto DEUS olim offerri sibi voluit, imò primam innocentiam victimam in iunioribus Abele respexit. Primas primitias flores martyrum per solam innocentiam testes mysterij sui nato in carne DEO parvulos habere complacuit. Soli virgineo tenerioris ætatis choro indultum cantare canticum, quo beatæ Syonis Agnum ad illas delicias consequuntur. Quid ergo jam puritate Alti adolescentiæ veritati divinæ concinnius? Sed, & constantius consonare desiderabitur! Equidem, sicut candidæ lanarum, præstanti, quo semel imbuuntur ostro, colorem constantissimè retinent. Sicut quo semel est imbuta recens servabit odorem testæ: ita adolescentiam juxta viam suam, etiam cum senuerit non recessuram ab eodem veritatis divinæ habetur oraculo. Rite semel honesti formam institutam juventutem continuato tono residuum vitæ processum decantare, tot sæculis magistra rerum edocuit experientia. En quod desiderabatur divinæ voluntati consonare adolescentiam constantius. Imò nisi ætas hæc flectendo facilis, ad omnis honestatis numeros consonare directa instituat, maturior frangi, quàm flecti facilius, facile omnem instruentis industriam dissonando retundet. Teneriores arborum, ut flexibilitate sua debent educationi obsequuntur facilius: ut a teneris unguiculis animantes ad instructionis leges assue fieri exercentur habilis: ita tenerior juventutis conditio ad omnes virtutis numeros institui aptior, restarum concinnitate actionum eruditur exactius. Prudentiæ defectu, iudicij infirmitate, vitium tenuitate pro altitudine perfectioris religiosi status, tum eligenda tum vitæ Tono æquabili, ardua sustinendo, duro cantu decurrenda inidonea juvenus ne dicatur. Quippe quæ ei per naturam ad humanæ societatis contractum valida attribuitur, ea majore divini auxilij concurrente efficaciam, quæ sufficere ad inchoandum, ad continuandum, ad consummandum cassata deficient? Hominem ei (inquit neclatæ os Ambrosij) eligere licet per naturam, DEUM non licet per gratiam: quid multa? pro Alto majora canantur! Ipsum æterni Patris æternum Verbum Caro factum Alto concinit, dum duodenne in carne propositum triduo Ecclesiasticos inter parietes, à Matre, Nutritioque avulsam factum pro juventuti in obsequium DEI prævit pro exemplo. Juvenculus Samuel, à ma-

tre oblatum Domino. Præcursor Domini, Præcentor facti in carne Verbi Divini, quo inter natos mulierum non surrexit major, in desertum ad laudes DEI aultero victus, amictusque obsequio VOX suaviter decantandas processit; Virgo Apostolus dilectus Christo Discipulus in juventute sacro Apostolorum choro est adlectus. E sacro codice DEO Altum juventutis in suo obsequio gratissima panguntur, & sonant in exempla, Jam Paulos, & Antonios, Benedictos, & Mauros, Aquinates Thomas, sexcentosque alios, numerosissimi syllabo ex annuo choralis Ecclesiæ, in adolescentiæ annis DEO in religione, quis satis dilaudet & decantet mancipatos? Ratio ergo consonat, Cœlum accinit, tantus exemplorum accordat numerus, Altum juventutis, Tenore virilis ætatis DEO in religione haberi gratius, verissime dictum.



VOX clamans VERBUM,

Seu

Joannes Christum demonstrans.

ANno quinto & decimo Tyberij Cæsaris, nullo Judææ Rege, Romano duntaxat Pontio Pilato ejus præside, Terrarcha Galilææ Idumæo Herode, Principibus Sacerdotum Annâ & Caiphâ, factum super me in deserto Joannem Zachariæ filium verbum Domini, omnis regio Jordanis audi, omne desertum Judææ attende. Ecce jam venit nobis missus Unctus Domini, qui mittendus erat, Agnus DEI, Dominator de petra deserti ad montem filiz Syon, datum hunc Agnum olim per os Sanctorum præmissum Syon in salutem, datum Israël in gloriam Domini ne ambigite. Inde enim exultaverunt speciosa deserti, inde colles accincti sunt robore; & hæc ipsa jam per montana Judææ divulgata sunt, tempus proinde visitationis vestræ, visitationis orientis ex alto Messiz vestri agnoscite. Cognovore bruta possessorem suum, præsepe Domini sui venerata, quidni & tu Jerusalem, luce ortâ, genitum in splendoribus Sanctorum tuum agnoscas Salvatorem? quid inquam non agnoscas? Cum in pace sit locus ortus ejus. Conquievit ab armis pacata terra, & Romanæ Urbis in vastos gentium tractus dominantis imperium, in ortu Messiz tui, pacis detulit obsequium, Principi pacis; quia & Augusti edicto, universus orbis conscriptus, ut augustissimo ejus ortui ad nutum stare, & tantis solennibus natæ Saluti tota hominum obsequiosa applauderet universitas. Cœlum ipsum, nati in civitate David Salvatoris mundi, annunciato gaudio magno multitudinis militiæ cœlestis cantantium, & psallentium in aggratulationem sociata lætitiâ applausit. Gloriam DEO in altissimis, ex neo-nati Messiz auspiciis, & pacem in terra hominibus, desideratissimo nuncio Angeli pacis bajuli detulere. Et quis jam ad tantum ortu Stellæ ex Jacob fulgorem cœcutiat? Videant ad eam lucem usque in Bethlehem transitum a vigilijs noctis super gregem suum pastores, & locum Nati, Natumque Angelico Magisterio agnoscere edocti, DEUM suum adorantes re- versi gaudio magno, manifesta, nati Messiz, magnalia Domini enarraverunt. Quid: quod Divini oris effatum sit, Bethlehem terram Judææ, nequam quam minimam fore in Principibus Juda, clarissimis natalibus Ducis, qui regat populum Israël omni Judææ, omnibus orbis gentibus divulgandam, hoc

hoc in Principum Sacerdotum Synedrio, à divini hujus Vaticinii haberi oculo, vobis Judaici Magisterij vestri sacrosanctè sanxit auctoritas. Quia tunc natus esset Rex Judæorum Christus Dominus. Nunquid enim tunc non venit lumen Jerusalem, & gloria Domini super eam exorta est; dum oriretur super eam Dominus, & gloria ejus in ea visa est. In hoc enim lumine ambulaverunt gentes, & in hujus ortus splendore a solis exortu præcelsere Reges. Quare ergo turbaris o Jerusalem, annunciatorum è cœlis gaudiorum seges, in messum exultationis tibi nata est, quo metu, quâ tristitia, ad datum, & natum Principem pacis, in tumultu contremiscis? Quem Reges gentium, Cœlo per stellam nuncio, Regem Judæorum, verum tuum Messiam didicerunt, tu è Principum Mystrarum tuorum oraculo, ex consulto Prophetiæ Divinæ Vaticinio in Bethleem agnosce; Regem Judæorum, Regum Trias cœlitis eruditione non Herodem cum Porphyrogenito filio in purpura superbam, semen Chara, non Juda, apud te, in tui illuminationem, ubi foret, inquit; ut quid ergo cum conturbato, ad Messiam tui exortum, pessimo scelerati Tyranni exemplo, tota conturbaris? ut quid ab hoc tuo principe pacis, agnito à gentibus, adorato à Regibus Domino Dominantium, quæ ad pacem tibi sunt posita, spontanei erroris contumaciâ, non advertis? Inundatione Cameloposita, Dromedarij Madian, & Epha operiendam te Messiam exortu, offerenda ab Insulis ei munera, annunciandam Salvatoris tui laudem, adorandum à Regibus terræ sanctum tuum Evangelici Prophetæ Isaïæ habes prædictionibus; expleta hæc in te sacræ legis interpretes, cum toto Sacerdotum exposuere concilio: detrahe ergo voluntarij erroris velamen, & jam datum ex cœlestis promissionis gratia Salvatorem tuum, Agnum DEI, & stellæ nuncio, & Regum evocatorum exemplo adora demonstratum. An signa Messiam, mirabilium patratoris, orbisque Thaumaturgi expetis? En egressa virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendit, Dominus dedit signum hoc, ut mulier circumdaret virum, & Jesse à radice conciperet Virgo, & Virginea Mater pareret Filium, cujus nomen Emmanuel. O signum! o portentum! Filius Virginis sine patre egressus, flos unicus universi miraculum. Filius Altissimi sine Matre ab æterno in splendoribus Sanctorum ante Luciferum unigenitus. Hunc complacentiæ Divinæ ultimum terminum, vobis natum, vobis in scientiam salutis datum, totius cœli, meoque, qui descendentem instar columbæ Spiritum Domini super eum spectavi, qui vocem Domini in hoc sibi Filio dilecto complacentis audivi, testimonio, referatis in applausum superna sedis repagulis exhibitum habete. Si Thaumaturgi Messiam signa peris, prædicta olim à sacris vatibus, spectastis oculis, palpastis manibus. Nunquid enim latè vagante per universam Judæam, imò per longinquas terrarum plagas evulgante famâ, sed & seniorum vestrorum, Principumque populi testante admiratione, aperti sunt oculi cœcorum? nunquid aures non patuere surdorum? Ipsi hæc spectastis mirabilia, portenta vidistis & signa. Cæcos videntes, claudos ambulantes, leprosos mundatos, surdos audientes, à mancipatione spirituum immundorum liberatos, mortuos resurgentes, pauperes in turbis evangelizatos vidistis. Eja itaque exurge Jerusalem! ad oculis concipiendum salutare DEI exurge; ad contemplandam gloriam plebis Israël, ad vindicem libertatis tuæ ex duro exactoris Tyranni jugo vivum in carne DEUM tuum summam veneratione agnoscendum exurge! Quod si necdum tanto lucis fulgore perstricta, è tenebris ignorantie ad luminis tanti scientiam expergisceris: age, factorum oraculorum scrutare Mystra, prædicta tibi ad Uncti Sancti Sanctorum desideratissimum adventum exactâ computatione discute tempora. Et dum

dum ex viri desideriorum Vaticinio septuaginta jam abbreviatis hebdomades super populum tuum, & super civitatem sanctam tuam, periodis suis exactas evolvisi, consummatam jam prævaricationem gratiâ Domini, deletam terre iniquitatem benignitate Salvatoris, deductam justitiam sempiternam vindicæ populi sui misericordiâ Altissimi, impletam visionem. & Prophetiam juxta jusjurandum factum patribus nostris à Domino, Unctum jam tibi Sanctum Sanctorum, datum in medio tui, Agnum, Dominatorem de petra deserti agnoscendo sulcipe, susceptum Christum Ducem venerare. Hic enim ipse est, qui veniente plenitudine temporis, quieto noctis silentio, è regalibus sedibus profiliit, Evangelizaturus Syon; hic est, qui assumpta in carne in omni Justitia & Sanctitate ad annunciandum mansueris, ad medendum corde contritis, ad prædicandum indulgentiam captivis, ad divulgandum annum placibilem Domino missus apparuit. Noli ergo amplius in errore mortis traduci, dum ad videndum tibi lux veritatis in vitam exorta est, ut oculis ipsis usurpares datum DEI lumen ad revelationem gentium. Noli confundi in obstinationis opprobrio, cui venientem ex alto velatum humanitate DEUM ad gloriam plebis Israël clementissima DEI est elargita dignatio. Exulta itaque filia Syon, & tot Divinarum Prophetiarum oraculis, tot mirandorum signis, & portentis, tanto irrefragabilis veritatis testimonio, tuâ ipsius renitente indurati cordis conscientia, ipsius ex alto DEI gaudium de dato à se Christo suo annunciantis VOCE, tota jubilantis, & aggratulantis tibi Cœli lætitiâ, Messiam Salvatorem tuum, Agnum, qui tollit peccata mundi demonstratum omni humilis & debitæ venerationis apparatu obsequiosa reverentissimè adora.

PROBLEMA.

Efficaciùs VOCE, an Opere persuadeatur?
Pro VOCE.

AD permovendos mortalium animos, Vox, an Opus perorantis, energiam in persuadendo efficaciùs exerceat, sub lite constitutum, utrinque acriore adhuc concursu conficiatur. Equidem magnam Vocibus vim inesse, nec mutus negaverit, nec factorum annalium peritus Polyhistor inficiabitur. Solâ Voce, quod famosus à prodigijs ille Judaici populi Ductor Moyses rixantem cum Hebræo Ægyptium occiderit, ex divinis oraculis haberi Mystræ Hebræorum asseverant. Quin eundem ipsum, DEO, hominibusque dilectum Moysen, post præstitum per viam in viam deserti electo populo jussu DEI ductum, solâ verbi divini jubentis efficaciam, viam universæ carnis inisse, tum veterum, tum recentiorum factorum interpretum habetur testimonio. Imò hominem peccati, filium perditionis, eructandum novissimis temporibus ex puteo Abyssis contra cœlestia Gigantem, solo spiritu oris Christi, hoc est solâ Verbi Domini efficaciam interficiendum, doctissima auctoritatis affirmat gravitas. Xenophilum unâ canoræ vocis ope adjutum, quinque supra centum annos, sine ullo corporis incomodo vixisse, naturalium scrutator tradit Plinius. Innumera ejusmodi efficacis vocis mirabilia enumerat cum alijs Plutarchus. Quæ quidem, dum ut certa tenentur, certum penè & illud existimandum, efficaciùs voce Oratoris, quam opere persuaderi. Quid etenim

etenim valido verborum firmata robore, plena sententiarum Maieftate non efficiat oratio? ferreos penetrat animos, durata in adamantem emollit pectora, nulla per obftinationem tam obtufa mens, quam efficaciam fua, in fuum non inflectat obfequium. Hæc frænum præcipitantibus injicit, morofos iu- mulis concitat, exultantium compefcit insolentiam, ferocientium emollit auferentem, dejectorum crigit puftillanimitatem, præfumentium compefcit audaciam, agris suggerit folatia, fractis allabatur subsidio, in omnes pro libitu fuo ita efficit omnia, ut qui ejus dominantis imperio fe subducatur, ut nemo. Ipfum robur Martium, virtus bellica, fubjectam fe vocis agnofcit potentiam, quod verfuta militum stratagemata, quod intrepida in necem ruerentium dum, quod ferro, & igne armata manus efficere non valuerunt, unica pugnantium animis validiffimè illapfa facundi Belliducis vox effectuat, Sua in ftrage fepultus Lacedæmoniorum interiiffet exercitus, nifi eum prærtus labantem fugâ exanguî penè exanimem, ad animos, ad cruentam hofti pugnam acrius ex dedecore inftaurandam, unius viri facundiffimi ea efficaciam fermonis incendiffet oratio, ut quem turpiter fugientem fugerat, revocato ab inde pede gloriofius fugitivam victoriam infecutus allequeretur. An non unica Mnefthei vox Trojanos, quos jam difperfos desperatio in fimilem ignominiofam fugam egerat, ad repetendum rurfus prælium ita redegit, ut qui grandi dedecore, grandiore patriæ exitio fugitivi intra muros ab hoftibus obruendi periclitarentur, ingenti poftmodum hoftium ftrage à muris majore urbis gloria, maximo emolumento periculum depellerent? Romanos prætereo, de quorum Republica fapius conclamatam fuiffet, nifi Imperatorum eloquentiam vi pollentium vox, pro amiffa jam ferè victoria revocanda, repetito ex Romana fortitudine in hoftes incurfu efficaciter conclamaiffet. Et grandia hæc pro vocis efficaciam non habeantur miracula? Catonis confilium volebat mutum in prælio militem, clamore vultuque minaci inimicum terreri jubebat, plus voces, quam manum hoftes in fugam vertere, aut attonitos, quo expeditius feriantur, reddi perfuafus. Ita fanè, efficacius diferti oratoris facundiam, quam toto pugnaciffimi exercitus nifu peragi, celebratiffimi olim armorum Polemarchi fuo fuffragio confirmavere. Sic namque plures fibi Archiftrategus ille Epyri Rex Pyrrhus per unius Cineæ Oratoris eloquentiam, quam validis bellatorum copijs civitates fubjugatas gloriabatur. Sic ad Trojam, quam decennali obfidiione tota cum adfcitis auxilijs Græcia expugnare non valens, fole mendace religionis stratagemate dolosè obtinuit, non feptem manu promptiffimos cum fujs phalangibus Ajaces, fed Neftores eloquij vehementiam validos, fubjugandam, & excidio triumphandam fummus Græcorum Dux Agamemnon expetebat. Sic non tam armatorum copijs, quam potentiam eloquentiffimæ vocis per Græciam ubique Victor triumphos tonabat, fulminabat in hoftes Pericles. Sic Latina Primas eloquentiam Tullius, paratum à Catilina- ria conjuratione Romana Urbis excidium inveftivæ orationis vi efficaciffimè avertit, in paricidales patriæ hoftes fermonis adhortatorij vehementiam Quirites ita animavit, & armavit, ut adverfus confceleratos proditores opportu- niffimâ victoria ultricibus armis triumpharent vindices. Vocem facundiam, & in pacem componebat armatos, & rurfus in arma pacatos Athenienfes concitabat Demofthenes. Voce flexanimis eloquij, quidquid penè pro roftis Orator Cicero fuaudebat, perfuaudebat efficaciter. Nolo mille alias Græcorum & Latinorum, in foro, incurijs, militiam, & domi facundiam voce paratas Oratorum confequi victorias. Confopita iu Senatu ad bonum publicum confilio- rum diffidia, data efficaci executioni in communis rei utilitatem decreta; ita-
tutâ

curas leges, mille inde in Rempublicam fructus, fortunatiffimos eloquentiam partus, quis fatis recenseat? Sactis in exedris triumphantem vocem, quantas Ecclefiasticis fuis erudientibus ad iuftitiam populos, ftellarum inftar fulgentes mereat corollas, nemo fufficienter enarrabit. Altiffima confideratione Sapiens aflequatur melius, quam artata anguftijs explicet oratio. Quæ dum contracto pro Colophone quærit compendio, quid taciturnus Bellidux in ca- ftris, quid filentarius Polytricus in aulis, quid in curia, Senator elinguis, quid mutus Ecclefiasticus efficiet in Cathedris? nec militem ad prælium, nec civem ad agendum bonum publicum, nec auditorem in viam honefti fine voce inducendum concludit. Concludit non fieri opere effectuatam, quod prius voce non eft efficacius dictum, & perfuafum.

Pro Opere.

Medioerem orationem viribus commendatam, plus habituram momenti, quam optimam illis eisdemque deftitutam, famofus ille oratoriam difciplinæ Magifter Quintilianus, vel inde affirmavit, quod & infantes actionis dignitate eloquentiam fructus tulerint, & diferti alias, deformitate agendi, multi, infantes fuerint reputati. Non igitur fine caufa Demofthenes, quid primum in dicendo foret, rogatus; actioni primas, actioni fecundas, actioni tertias attribuit. Et Æschines dignitatem orationis Demofthenis admirantibus Rhodijs dixit: quid fi ipfam belluam resonantem audiviffetis, fpectaviffetis? Innuere voluit, manifeftrum effe, plus dignitatis, & fplendoris ipfi actioni, quam reliquis Orationis luminibus inharere. Si enim una corporis eloquentiam, actio eft, ut voluit Tullius, atque aded per eam fubjiciantur oculis, quæ per vocem immituntur auribus, non poteff non efficacius actio, quam vox animos permovere. Tantum ergo, fi in actione dicentis momentum eft, quidni longè etiam efficacius opere fuadentis, quam fermone perorantis perfuaderi, mihi perfuadeam? Quamvis enim fuâ integritate constantem orationem virium nervo non deftitutam minime negem, ut plus tamen fubjecto oculis operi, five ad conciliationem amoris, five ad incitationem odij, five ad erectionem fpei, five ad desperationis dejectionem, aliasque animi ciendas affectiones, ad perfuadendum attribuiam, non uno convincor argumento. Age enim quacunque elaborati fermonis elegantiam amorem quis erga te fuum fuafert, nifi opere eundem contestetur, non perfuadeberis. Age, in cordati amici, plurimis radicata erga te fincera amicitiam experimentis probati, quocunque Philippicæ, aut Verrinæ inveftivæ impetu odium pellicearis, nifi verfi in odium amoris effectum verè fis expertus, prudens non perfuadeberis. Et, quæ facundiam vis ad fperam ibi erigat, ubi poft grandia elufi incallum laboris fatigia, rei impoffibilitas operatione ipfis oculis fubfternitur? Cujus vehementiffimæ dictionis impetus, te in agendorum desperationem ibi præcipitet, ubi operationis proceffus factio ipfo mox obtinendi finis in fperam confpectui exhibitus erigit? Ita rem, non fucum rei politam dictionem, perfuafurus exhibeat. Nimirum, aurium quidem, ingenique oblectationi ornata vocis eloquium fubferuit, animos tamen intelligentium nunquam ex merito, nifi operationi focietur efficaciter inflectes. Ita fanè nifi manui lingua concinat, nifi facta dictis exaquentur, nifi cum lauto fermone lautities morum conjungatur, tanquam Marpefia cautes incallum toto virium nifu exfertis clamandi contentiones irritabit Auditor. Ut enim fapientiffimè Venufinus ille Vates accinit:

larvarum iudicium distemperante? Sic fore nemo non opinabitur, pompam exacti ad æquitatis amissim tribunalis, Judæa universa, imò orbis admiratus, non uno præconio aliis in exemplar dilaudatam evulgabit. Injustè actum est nihil. Hoc scilicet sanguinarij genij tui lascivientis in ventris, luxu Tyranni egit crudelitas, ut quam prius innocentiæ VOCEM occidere metu populi non poterat, non uno tamen supplicij genere apud te per Summum nefas occidere volebas, eam inauditam, contra naturæ, gentiumque jus, ad saltatriculæ adulteræ tuæ Herodiadis filiæ, amenter ex libidine savientis vocatriculæ, immani tuo iudicio mitissimè annuens capitis iudicio sententiare auderes; & adhuc injustè actum est nihil? Misso spiculatorè caput hoc in disco affert præcipis; hoc decollatum in carcere (vindictam in publico peragendi tanti sceleris meruebas) puellæ incestuosi thori tui probro Herodiadi tradendum tradis. Injustè actum est nihil? Consummata crudelitatis libidini libatum jam est, peracta sanguinarij edicti executione stropa; clamantis nunc sanguinis antitrophè, VOCIS imminuta de exaggeratissima in sceleribus nequitia tuâ brevissimum compendium, quamvis invitis auribus percipe Tyranne, Herodes audi! Per incestuosam thori rapinam, non licere tibi habere uxorem fratris tui dixi, & tamen naturæ, divinique juris pravicator tantum nefas consceleratus perpetrare ausus egisti injustè. Injustè in societatem tanti sceleris, ne solus sceleratus habereris, pro assentationis palpo parasitos confortes adscivisti, multiplicato per te, in te, aliisque crimine, actum nefariè, actum injustè. De omnibus malis, quæ Herodes feceras salutari correptione VOX clamantis, miserentisque tui redarguebam; his tamen omnibus malis, & vocem salubriter redarguentis in carcerem includere adiecisti: odium tibi peperit veritas, actum injustè! Libuerunt libidinosæ crudelitati tuæ, quæ non licuerunt, actum injustè. Audisti Herodes, thronus Regis non est sedes iniquitatis. Regibus non quæ libent, licent, sed quæ rectè licent, duntaxat libere debent, libuit tibi per summum nefas, sed non licuit injustum esse in innocentem, quidquid actum, actum injustè. Irritamenta lasciviæ ad majorem gulæ luxum, illecebras, convivali solemnitate, belluinâ ingluvie supergeris: & jam à crapulæ, libidinisque æstu, crudelitatis tuæ, effervescente genio thori tui prostibuli filiæ, saltatriculæ complacitæ, quidquid impudens ejus lasciviâ peteret, nefario juramento, mulierosus permittis, & majore sacrilegio, caput hoc VOCIS clamantis, in præmium saltatricis, tuo obsequio, per tuam eviratum feritatem cædit in præmium. Hæc ne tui natalis solennia? ut pro saltu puellæ, injustè latâ sententiâ è cervice Prophetæ caput desilliret? Ita scilicet efferum Leonem gessisti vulpes, ut belluinæ crudelitati delicias, ferinæ voluptati funera, incestui tuo conjugares. Quidquid hic actum per summum nefas ex veritatis oraculo actum injustè. Age jam vultu hominis larvata bellua ferali missu, geniali crudelitatis convivio epulis non exsaturata ingluvie, cruento hoc ferculo age, vescere. Adde ad scelerum tuorum plenitudinem superflente mensura consortes facinoris tui, convivas tuos effice. Tam exquisitè savientis Herodiadis, apto ad furentis voluptatis tibi placendi animo parato ferculo exsatiare. Hauri oculis horrore luxuriæ tuæ clausa capitis in disco lumina, delicias tui sceleris vel unico icu contueri averfantur. Palpa manibus ad incendia, tua, ad æstum, quo sanguis per te sanguinem tetigit, algescit exsectum caput. Hauri è venis cruorem, & te quem sitijisti cum tua Herodiade manante libertim prolue sanguinis balneo, ac ulla tui patris sit expertus cruenti sacrilegij. Pallentia oris intueri labia, & clamant

clamantis VOCIS sententiam, etiam dum obmutescit, expavesce. En crescentis VERBI, justij iudicij decreto vibratum in te fulmen est, tantam criminum abominationem, tanta malorum è solio tuo vitiorum jacta incendia, tantam effusi justij injustè sanguinis æstum, tantum feritatis excessum, ardoribus sempiternis lues, non elues. Prius tamen te belluam ex hominum consortio vitiorum foetore vermibus scatentem ejectam, terra sententiæ Cœlitum subscribente ejiciet. Sic tecum in exemplum orbi actum erit justè.



PROBLEMA.

Ad vocem salutis percipiendam aptiorne plebs,
an Nobilitas?

Pro Plebe.

DUM incarnata DEI sapientia vitali Magisterio doctrinam salutis, in parabolis olim humano generi traderet, Patrem suum æternum, æternus DEI unigenitus, agricolæ; quando institueret discipulos; se verò Filius hominis seminanti semen bonum in agro suo, quando congregatis ad eum turbis multis verba vitæ æternæ spargeret, assimilavit. Sed & factum esse deinceps, inquit Evangelista, ipse iter faciebat per civitates, & castella prædicans, & evangelizans regnum DEI. In diebus quoque illis, dum per Joannem Baptistam præcursorem suum in deserto Judææ pœnitentiam agendam clamaret, appropinquasse regnum Cœlorum prædicaret, tunc ad Joannem Jerosolymam exivisse, & omnem Judæam, & omnem regionem circa Jordanem, confitentis peccata sua, quin & progeniem viperarum Phariseos, & Sadducæos fugientes à ventura ira ad ejusdem Baptismi confluisse sacræ pagine testimonio consignatum habetur. Hæc, si morosius expendere, frugis salutis in audientibus factos reputare libeat, curiosa quidem sed & credo, extra censuræ notam, sese ingerit quæstio: plebsne an Nobilitas ad percipiendam salutis Vocem, habilior existimanda? Id si primo, & meliore fortè edicendum iudicio, & ex indole plebis, & ex sacri textus testimonio pro plebe pronuncandum videbitur. Nam mite plebis ingenium placidæ illi ovicularum mansuetudini, mihi vel ex eo haud dissimile esse videtur, quod quemadmodum hæc ad omnem nutum pastoris agi facilis, ita illud ad omnis probitatis sibi propositæ persuasionem tractabilior habeatur. Imò cereus quasi vulgi genius ita est, ut ei quidem cœlestium bonorum, principiorum salutis forma facile imprimatur, impressa tamen semel, tanquam cauti adamantinæ insculpta, & incisa, magnâ, ut ita dicam, contumaciâ tenaci, difficillimè sanè, aut nunquam possit obliterari. Age enim, quanta, quamque tenax factorum apud vulgus persuasa semel appetitatio. Fortunas omnes, vitamque ipsam intuitu eorum depretiat. Nunquam siquidem religionis mutandæ ratio sine motu gravissimo plebis, in fortunarum jacturam, in vulnera, in tormentorum crudelia, in mortem ipsam ultro ruentis fuit attentata. Exempla, qui desiderat, fideles consulat fastos sæculorum. Atque hinc illud promanare indubiè concluditur, quod præ alijs altioris sortis hominibus, Mythis

bast, eodem triduo elapso, ex Principum, Sacerdotumque maligno instinctu
 crudeli clamore, furiosâ rabie sanguinariè ad mortem Crucis deposcebant: &
 hoc non fuit venire Satanam, & tollere verbum de cordibus eorum? tempo-
 rales erant. Evangelizavit Christus & Nobiles, quod & in Regibus per hie-
 lam vocatis, & in Magdalena, ac Lazaro, in Thoma, & Matthæo, in Regulo
 & Centurione, aliisque sexcentis Ecclesiæ recolit posteritas. Certe, ut na-
 scendi felicitatem Nobilitati Dei providentia contulit, ita in donis naturæ o-
 ptimus naturæ opifex non denegavit. Ingenua Nobilitas est, ex meliori radi-
 ce, bonæ pullulant propagines, sic enim *fortes creantur fortibus*, ut Lyræ Prin-
 ceptus Poëta, communi placito receptum cecinit. Quidni ergo pro genuina in-
 genuitate ad omnem honesti rationem facilius persuadeatur? Desæcratione cete-
 bro docilior, exactiori educatione cultior, subtilius audita percipit, penetra-
 ta retinet, amata ex honestate consequitur. Magnanimitate ad cœlestia salu-
 tis erigitur, aquilatum instar ab imis, ad præalta evolat, à luto fœculentæ
 contagionis mundi hujus ad illimes cœli delicias sublimare sese ex generosi-
 tate sua efficacius persuadetur. Quot enim è solijs Cæsarum, è thronis Re-
 gum, è Principum celsitudine, è magna celeberrimæque Nobilium profu-
 piâ, per torius terrenæ pompæ despectum, unius virtutis appetitione in
 æternorum amorem sese exaltârunt. Hinc divitiarum depretiatione tot
 per Nobilitatem extructa claustralium cœnobia, tot erecta Religiosorum col-
 legia, fundata Ecclesiasticorum Capitula, honori Sanctorum dicata templa,
 profusis sumptibus ædificatæ Basilicæ, grandî munificentia provisa Xenodo-
 chia. Exempla non commemoro, quot enim orbe toto, tum Romana in ur-
 be per gloriosos Apostolorum Principes Nobilium familiarum, quot in aulis ipsius
 Principum proceres, quot per successores eorum Cæsaribus ipsis jure sanguinis
 proximi, ex percepto salutis verbo eos fructus fecerunt, quos etiamnum or-
 bis Christianus suspicit, & admiratur. Per quævis immania tormenta, vitæ
 potius, quàm recepti semel verbi salutis jacturam, sanguinis profusi testimo-
 nio facere præelegerunt. Illud prodigium, quod Cæsarum, Regumque con-
 sanguineus sexus fragilis, & tener, non unâ crudelitatis violentiâ è vita hæc
 mortali potius, quàm è verbo vitæ excedere, victoriam Martyrij pro fructu,
 largiente DEO, maluerunt. Flavius Jovianum è millibus quid referam? è
 sanguine Cæsarum hic oriundus, probro illi orbis Juliano Imperatori Apostata
 sanguine proximus erat: in nobilis virtutis suæ tesseram illud pro Symbolo
 præfixerat. Christus vitæ mez scopus. Christum à Tyranno abnegare jus-
 sus, non paruit; baltheo Nobilitatis suæ insigni in ignominia opprobrium
 exitus, ignominiam eam pro Christo pati, in gloriam reputavit: carceri ad
 destinatos cruciatus sufferendos vitæ ipsius periculo constrictus, libertatem no-
 bilis animi Christiani æstimavit, & mortalis vitæ pro Christo per mille neces-
 sitatem, pro vitæ ac salutis æternæ habuit auspicio. Repentino tamen, post-
 quam ultrix divina Nemesis blasphemum Apostatam è vita proturbasset, mili-
 tum favore ab exercitu Imperator est salutatus, fasces assumere prius noluit,
 quàm universus miles Christianum se esse acclamaret. In nunc &
 Nobilitatem ad vocem salutis utiliter percipiendam
 plebe apriorem nega.

VOX



ACADEMICA BASILICA EZTERHAZIANA SOCIETATIS IESU TYRNAVIÆ

VOX LOQUENS IN LAPIDIBUS.

CLAMANTIS VOCI

Sacrata cùm Simædes,
Ipsos tamen sexaginta filii annos:
Cavens, ne fortè magnos Heroum cineres,
Quos intra me quiescentes contineo
Importuno sonitu perturbem.
At, quid si immodica taciturnitas
Alijs loquendi præbeat ansam?
Et quæ Religiosa videri volui, Ingrata habeant
Multis cumulata sum beneficijs,
Quæ perire creduntur si taceantur.
Rumpenda itaque sunt muta naturæ vincula.
CELSISSIMA mihi EZTERHAZIANA DOMUS Paterna est.
Vel inde magnitudinem ejus metire,
Quod uno nisu tantam edidit molem!
Patrem eundem nacta sum, quem Patria
NICOLAUM EZTERHAZI
Hungariæ, anne etiam Cœli Palatinum?
Ut qui Cœlitibus tam Augustum infiruxit Palatium.
Et nominatim quidem PræcurSORI Domini
Perpetuam fixit stationem.
Ad PRO-REGEM nempe spectabat
Numinis Legatum tam illustri excipere hospitio.
Qua in re bis benè meritis,
Et quod VOCEM honoraverit, & quòd in VOCE VERBUM.
Nec mirum videri debet,
Quòd armis assuetus, ad sacra animum adjecerit,
Unus quippe, munere
Et Romuli & Numæ perfungi auebat.
Quare Belli motibus, quibus Hungaria quatiebatur
Non semel feliciter sedatis,
E Duce Sacerdos, Templum Paci dicavit:
Cujus in tesseram, iisdem ædibus

Gentilium GRYPHUM cum AGNO Baptistæ
diversari voluit.

Ita tamen Pacem coluit, ut & Justitiam veneraretur:
Cui jam tum Fanum posuisse censei potest,
Cum ei solius ejusdem amore Arcem Regéczi dedicavit.
Sic nempe in Magni Herois pectore
Justitia, & pax osculatæ sunt.

Futurorum fuisse providum quis neget?
Cum ad proximam throno evedus dignitatem
De sepulchro cogitârit,
Me in Mausolæum constituens.

Si cui tamen triste id nimiùm Nomen videtur,
Rosetum me dicat,

In quod emeritæ EZTERHAZIORUM ROSÆ transplantantur,
Verillud expectaturæ,

Quo mundus universus novam induet faciem.

Ego quam possum beneficij repono vicem,
Parentem, qui me condidit gero conditum utero,

Editura in lucem luce supremâ,
Ejusdem & nata, & Parens.

Multa Vir immortalitate dignissimus,
Fatis concedens, Hungariæ reliquit,

Nihil tamen majus magno Filio
PAULO EZTERHAZI.

Qui ita Patris legit vestigia,

Ut tamen, citra filialis observantiæ dispendium
Dignitate antecellat,

Imperij creatus Princeps:

Quis genitor, sic à nato vinci renuat?
Cui ordini plusne ipse attulerit decoris,

An ab eo acceperit,

Etiã num in ambiguo manet,

Illud accidit præter morem,

Quod cum res magnæ parvis oriantur principijs,
Principatus ejus à magno cœperit PAULO.

In Pro-Regis munere successit meritò,

Qui pro Rege tanta agere, & ferre didicit.

Ad intimi consilii secreta

(Ubi omnia sub Rosa geruntur)

Quid Augusta LEOPOLDI sapientia

Aptius adiscere potuit

ROSA

ROSA EZTERHAZIANA?

Et quis tam illustri diffidat fidei,
Quam incendijs flagrans illustravit Hungaria?

Nunquam amantior Patriæ,

Quàm dum ex ea amore ejusdem recederet,

Tum vel maximè Locumtenens Hungariæ

Cùm nullum in ea Locum teneret.

In exilio minimè Exul,

Ibi se patriam reperisse credidit,

Ubi Regem & Coronam vidit.

Gryphorum propria est Auri custodia:

Quid ergo mirum, si hic

Auream Coronam, aureamque libertatem

Per tot vitæ discrimina sequatur?

Quanquam peregrinus in Colchidem tunc videri poterat

Hic novus Jason,

Unde olim aureum retulit velus.

Sic nempe ferro probata virtus

Auro debuit exornari.

AUGUSTISSIMI LEOPOLDI, in eum amor apparuit singularis

Cùm ei partem Nominis sui donavit

Literam nempe L. Jubilæam.

Jam olim solo Nomine PAULUS fugavit sæpè hostes,

Quid facturus, postquam ei

Cæsarei pars Nominis accessit?

Inter arma cum adoleverit, dubium tamen facit,

Plus ne ferri acie, quàm ingenij valeat.

Si Mars Minervæ nuberet, talem progeneraret Prolem.

Crebris edoctus experimentis

Quàm dulce sit virtutem præmiis honorari,

Perpetua in hac Universitate fundavit præmia.

Quid si id restitutionis faciat nomine?

Raptor quippe hic Nobilis

Hac ipsa in Academia cum literas tractaret

Præmia non semel alijs præripuit.

Utrobique gloriosus,

Seu Raptorrem cogites, seu Restitutorem.

Non contentus dignitatibus,
Inter superos ambit officium:

Fit cæli Reginae Historicus:

De prodigiosarum MARIÆ Iconum originibus

Æternitate dignum conscribit volumen.

Nes

Nec ambigendum hoc Rosarum obsequium
 ROSÆ Misticæ gratum accidisse,
 Mihi porrò illud cum primis gratulandum
 Quod Salamoni meo,
 JOAS templi instaurator, successerit.
 Quod NICOLAUS fundavit, PAULUS ornat.
 Digna nimirum est PAULO sollicitudo Ecclesiarum.
 Ornavit Deus Cellissimam ejus Domum tot decoribus,
 Unde hic quoque Dei vicissim Domum exornat.
 Eo fortasse tendebat tam exquisitus Palatiorum ornatus
 Ut Exercitator ad Dei Domum decorandam evaderet.
 In profanis ponens splendoris rudimentum,
 Ut perfectio artis in Divinis terminaretur.
 Nolens Dei Domum minus cultam quam sua Palatia.
 Magna nobis, CELSISSIME PRINCEPS, necessitudo est
 Eodem natis Patre.
 Age itaque, ut cœpisti, seu Fratrem, seu Patrem, seu Tutorem
 Seu, quod malim,
 Omnia.

A. M. D. G.



CELSISSIMI,
 AC
 REVERENDISSIMI
 DOMINI, DOMINI
 JOHANNIS
 PHILIPPI,
 Episcopi Ratisvianensis; Sac. Rom. Imp.
 Principis;
 Ex Illust. & Nobilissima Familia S.R.I. Comitum
 DE
 LEMBERG;
 Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Intimi
 Consiliarij, & pro Comitibus Ratisbonensibus
 Plenipotentiarij Cæsarei, &c.
*Octavus ab Electione annus Chronodysticè cantatus,
 & celebratus.*
 à Joanne Georgio Strobel de Adelheim.
 Annò, quò
 LVX AXI^s Mentis benEDICTo EX RVre GVbernat.
 VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger, Universitatis Typographi.